



V. 1^K F.

(cat. 4, 33^b - 46.)



Zusatz:

1. Biel, Hier. Wig., progr. acad. (De dignitate acad. Wittebergensis). (Witbg.) 1722.
2. De Berger, Joh. Wh., progr. acad. (De academiarum nomination Wittebergensis praestantia et utilitate). (Witbg.) 1736.
3. Deutschmann, Jerem., Pyramis Wittebergensis, s. statua honoris eorum Sacror. Electorum qui academiam Witteberg. condiderunt, amplificaverunt, locupletarunt. Witbg. 1702.
4. Weichmann, Joach. Am., panegyrici memoriae pacis religiosae sacram indicit (30 dion in pace religiosa). Witbg. 1755.
5. Crollius, Joh., des Gottlieb Größ am Pfaffen, Witten u. von neuen Jüden. Witbg. 1694.
6. Vrevarium sive dactylus Jansfeldi nunciat in die Wittenburg. Pfaffen- u. Universitäts- Kircheng. Witbg. 1689.
7. Salsche. Witbg. 1690.
8. Latinus Jusseus, ~~opusculem~~ Hauff des Ursines de Wite. ~~Witbg.~~ 1771.
9. Indictum concionatorum publicorum in templo ad arcem academico Wittebergensi, anni 687. Witbg. 1688.
- 10-19. Haugwitz de Pentagone in die u. Jansfeld 1730. 1736. 1770-88 in die ~~Witbg.~~ ^{Universitäts} ~~Witbg.~~ ^{Witbg.}
20. Wille, Jo. Am., De Diaconis Wittebergae studiis sanctioribus excultis et professorum et inspectorum numeribus ornatis. Francofurtae 1744.
21. Cassai, Ge. Mich., carmen in professores acad. Wittebg. Wittebgae 1708.

1688-1788

D

19

LV. 33
7

ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI
DECANUS
M. HIERONYMUS
VVIGANDUS
BIEL

1722

LUNEBURGENSIS
COLLEGII PHILOSOPHORUM
ASSESSOR ATQVE H. T. COMES
PALATINUS IMPERIALI AUCTORITATE
CONSTITUTUS
PHILOSOPHIAE AC POETICES
CANDIDATIS

S. P. D.

EOSDEMQUE AD SOLEMNIA D. XVII. OCTOBRI
RITE AC MAJORUM MORE RECOLEND
EA QVA PAR EST HUMANITATE
INVITAT

*Dignitas academia
Wittenberg*

105





ostquam singulari Numinis beneficio accidit, ut ingenuae, sa-
cratiorelve scientiae, multis ante seculis sepultae, ab interitu
randem vindicarentur, isdemque in pristinam dignitatem res-
titutis, amplissimae Musarum sedes extruerentur, nulla sane
Academia exiit, quae nominis celebritate, doctrinae elegan-
tia, studiosorum frequentia ac dignitate cum illa, quae ad
albis ripam, felicibus auspiciis, surrexit, aliqua ex parte conferri,
nedum eidem praeferrī meretur. Enimvero, ut in praesenti
tantum de illustri civium origine breviter verba faciam, ex
quo FRIDERICUS III, Imperii Ensigner, qui, animi celsitate, ac rebus pruden-
ter institutis, nomen *Sapientis* consecutus est, non solum publico Comitiorum, quae
Wormatiae A. c. 1170 celebrata sunt, decreto, de Academiis in singulis Electoribus
erigendis, sed etiam divino nutu, vate POLICHIO MELLERSTADIO, primo in
recens fundata schola Artis Salutaris *Doctore* ac *Rektore*, ductus, & tantum non tra-
ctus, hoc sapientiae domicilium, suo Auctore dignum, in rerum divinarum at-
que humanarum salutem, postliminio reddendam, condi iusserat: ex toto terra-
rum orbe, non *civis* solum *ordinis* *Juvenes*, sed etiam *Nobiles*, *Barones*, *Comites*,
immo *Principes*, praesertim SAXONICI, PALATINI, BRUNSVICO-LUNE-
BURGICI, ANHALTINI, MECKLENBURGICI, POMERANI, aliive ad
hunc novum Apollinis montem, tanquam ad commune orbis oraculum, agmine
quasi facto, confugerunt. Quod, quanquam ex publicis Academiae monumen-
tis prolixè cumulateque comprobatum reddere poteram, tamen: ut & instituti
& chartae habeam rationem, tantummodo de *Ducibus* BRUNSVICO-LUNE-
BURGICIS, qui nostram Academiam, suorum studiorum nutricem, elegerunt,
quam brevissime potero, commentabor. Vix enim dum hoc inclytum bonarum
artium templum Deo consecratum erat, atque incerta adhuc de nostris Musis
fama per ora virorum volitabat, nondum audito *Lutberi*, emendatae doctrinae
post CHRISTUM Auctoris, nomine, *Primus* inter DUCES Wittember-
gam contendit OTTO, dictus postea *Senior*, *Harburgici* Stemmatum Parens,
qui cum Majorum nomine etiam virgutes, animo conceptas, nullo non tempo-
re expressit, multis ideo laudibus, inprimisque ex ea ratione efferendus, pro-
pterea quod, quamvis major natu, ad celsi regiminis fastigium, ad quod obti-
nendum alii avidissima mente aspirant, a Deo, natalium beneficio, destinatus es-
set: molestum tamen, postquam sua sponte a Reipublicae gubernaculis Patris
recesserat, regiminis onus sibi imponi non passus est, sed potius hoc ipsum in Fra-
tris, natu Minoris, devolvit humeros, atque exigua ditione, quae sustentandae Fa-
miliae sufficiebat, raro exemplo, contentus, aetatem duxit. Fratrem, suorum cau-
sa studiorum, Wittembergam comitatus est, alter HENRICI, ex *Cellenfi* Prosapia
oriundi, DUCIS BRUNSVICO-LUNEBURGICI Filii, qui ab ERNESTO,
Saxoniae SEPTEMVIRO, a quo tota Celsissima ERNESTINA Domus DUCUM
SAXONIAE suam trahit originem, utpote suo ex Matre *Avo* ERNESTUS in-
faco fonte dictus est. Atque hic ERNESTUS, ob religionem in Deum, pu-
blicis testimoniis, quam maxime autem in Comitibus, *Augustae* A. c. 1533. ha-
bitis, comprobata, pariter ac in subditos clementiam *Pii* nomen apud Posteros
jure meruit, & propter singularem vitae integritatem totius *Celsissimae* Domus, in
gemma adhuc progenie, prudenter ac feliciter regnantis, Parens evasit. Uterque
tam OTTO, quam ERNESTUS, DUCES BRUNSVICENSES AC LUNE-
BURGENSES A. c. 1531. proxima Dominica ante Paschatis solemnia, *Rektore*
WOLFGANGO REISENPUSCH JCO, Academiae nomina, in totius Saxo-
niae Inferioris salutem, dederunt. Etenim Laudatissimi *Principes*, Romani adhuc
Antifititibus superstitionibus occupati, postquam purioris Doctrinae assertori ac vin-
dici patulas aures praebuerant, atque ita in coelestis veritatis agnitionem, divino
beneficio, perducti, Pontificis tyrannidem, errores, superstitionem, flagitia,
fraudes ac pertinaciam detestari coeperant, non solum primos inter Germaniae
Principes extiterunt, qui puriorem religionem, misto fascino, amplexi sunt, sed
provincias quoque, suo regimini divinitus concreditas, dogmatum saniorum lu-
ce, instituta emendatione, illustrarunt. Ut autem innocenter Deum colendi ra-
tio, intra Patriae fines altissimis defixa radicibus, in dies magis magisque propa-
garetur, atque ad seros transferretur posteris, Religiosissimus *Princeps* OTTO
Filius



Par. Jé 3652


201



Filium suum cognominem, dictum postea *Juniorem*, in tenera adhuc aetate A. 1710 XL. Rectore VITO ORTELIO, Seniore, tunc adhuc *Philosopho*, deinde *Medico*, Wittembergam, tanquam ad genuinam religionis ac liberalium artium Matrem, misit, cujus institutione factum est, ut incredibiles pietatis atque eruditionis cepere profectus, eaque propter in rerum gestarum monumentis a religione atque omni artium genere commendetur. Patruelis institissent vestigiis, Patre, supra Laudato, ERNESTO, orti, HENRICUS & GVILIELMUS, utriusque *Celsissimae Domus* STATORES, nisi ob bellorum motus, qui in juvenilem horum Principum aetatem inciderunt, & quoque Inferiorem Saxoniam turbarunt, consilium, de suscipiendo Wittembergam itinere, mutassent. Interim ut suam gratiam, etiam absentes, erga hanc elegantiorum studiorum generatricem declararent, ex hac Academia *Gvilielmum Megeium* Herbipolensem, quemadmodum academici produunt annales, *Cellam* evocarunt, ut ex ore hujus divinae humanaeque doctrinae apprime docti Magistri vitae, sapienter instituendae, rationem atque humaniores artes animo imbibere possent. Immo, ut graviora accertiora sui in hanc Academiam amoris ac favoris argumenta posteritati exponerent, *Serenissimus Princeps* GVILIELMUS, *Electoralis* Familiae Avus, Filios, natu Majores, ERNESTUM & AUGUSTUM Wittembergam adire iussit, ut in hoc celeberrimo studiorum emporio, ad Reipublicae gubernacula, providis consiliis tractanda, instruerentur. Fratres germani, regio de sanguine, Matre DANORUM Regis Filia, nati, nostras Musas A. 1710 13 LXXXIII. Rectore FRANCISCO FABRO, *Humaniorum, Medicorumque Artis Doctore* Publico, salutare coeperunt. Ut autem animum suum, in Maecenates devotum, Academia explicaret, proximo statim anno, Patres Conscripti hos *Juvenes Principes*, magnae spei, ERNESTUM per aetatem, *Pro-Rectore* NICOLAO THEODENO, *Graecarum Literarum Doctore* Publico, & AUGUSTUM, per tempus hibernum, vices Rectoris gerente JOANNE BUGENHAGIO, *Juniore, Sanctioris disciplinae Doctore Ordinario*, omnium suffragiis RECTORES elegerunt, ac Patriae, totique Orbi optatissimum augurium ejus regimines ediderunt, ad quod *Magni Illi Principes* nati atque educati erant. Gloriosissimi enim DUCES BRUNSVICENSES AC LUNEBURGENSES ERNESTUS & AUGUSTUS, qui Wittembergenses Musas sua praesentia ac praefidio exornarunt, postquam Fratri Juniori GEORGIO, forte sic jubente divina, curam conservandae posteritatis commendaverant, cum Fratre CHRISTIANO quadraginta annos, & amplius, fatalibus propemodum, ad Germaniae ac purioris doctrinae interitum temporibus, summa prudentia, fortitudine ac felicitate, humanis rebus gubernandis, praefuerunt, suoque ex Fratre Nepoti, *Primo inter Duces hujus Celsissimae Domus* PRINCIPI ELECTORI, ERNESTO AUGUSTO nomina dederunt, qui, cum ob *Electorum*, suis meritis sibi ac Posteritati acquisitum, omnibus *Majoribus* suis MAJOR dici meruerit, tum autem MAXIMUS, ex quo GEORGIUM, REGEM, atque ELECTOREM GLORIOSISSIMUM reliquit haeredem, cujus natalis tunc, qua late patet, Europae salutaris fuit. Quinimmo adhuc in ERNESTI AUGUSTI *Felicissima Progenie*, *Majorum*, inprimis ERNESTI, juxta & AUGUSTI, maximorum in hanc Academiam meritorum, *Principum* virtutes veneramur, quibus non sufficiebat, hanc bonarum artium Moderatricem coram intueri, fovere, regere, atque augere, sed praeterea quoque, ut perpetuum suae Benevolentiae monumentum huic Academiae comprobarent, quemadmodum publicae, quas in consilium vocavi, referunt tabulae, *Indulgentissimi* studiorum *Fautores*, egregium poculum argenteum, magni ponderis, idemque inauratum, inter Academiae *perpetua reponendum, Senatui Literato, Rectore* EBERHARDO a WEYHE, U. J. *Doctore*, A. 1710 13 LXXXIX. dono dederunt. Nec minore gratiam DUCUM BRUNSVICO-LUNEBURGICORUM, ex *Grubenbaggica* gente, usque dum superstes floruit, aequae ac singulare, erga hanc instauratae doctrinae officinam, studium, Academici lares, grati, agnoscunt. Postea enim quam PHILIPPUS I. in Comitibus *Wormatiensibus* strenuum divinae veritatis propugnatorem, Deique causam medios inter hostes copiose sapienterque agentem, magna cum admiratione audiverat, in patriam redux, non deformem modo Dei cultum, suae fidei curae demandatum, virgineo nitore sensum sensimque restituere coepit, sed suum etiam Filium, Haeredem, proximumque Sacrorum Praesidem, ALBERTUM,

TUM, hujus nominis, in laudata Domo, *quartum*, Wittembergam proficisci jussit, ut divina oracula, ex ipso LUTHERI ore hauita, in succum & sanguinem convertere, nec ita multo post, quae mente exceperat, in Ecclesiae, Reique publicae, cuius utriusque una salus est, usus atque incrementa, per totam vitam adhibere posset. Inclutus Princeps A. CIO DCC XXIV. *Reſtore* CASPARE LINDEMANNO, *Litterarum & Medicae Artis Doctore*, in Civium ordinem receptus est, atque, ut inter omnes confaret, qua humanitate ac devotione *Principes*, etiam hospites, Wittembergae colerentur, anno, ab adventu Principis, nondum labente, Wittembergensium studiorum RECTOR concordibus votis electus, & in splendida panegyri ita renunciarus est, ut Academici regiminis, quo per integrum annum praeter consuetudinem istius temporis excelluit, molestiam in suum *Vicarium* SEBALDUM MUNSTERERUM LL. *Doctorem Academicum* conjiceret. Is est ALBERTUS, qui, etiam in Principatus paterni spem natus, enutritus, atque in D. *Lutberi* schola, ad hunc ipsum, pietate ac prudentia gubernandum, egregie expolitus atque, adaptatus erat: occulto tamen Sapientia omnium rerum Moderatoris arbitrio accidit, ut, magnae in vita spei, & multorum post fata desideriorum, *Principes*, Majorum virtutem imitaturus, sub *Immortalis Enſſeri* JOANNIS FRIDERICI imperio, in bello pro Dei causa adversus infensissimos atque implacabiles divinae veritatis hostes, in *Bavaria & Sœcivia*, suscipi coepto, inter *Giengam & Nordlingam*, Imperiales Svevorum civitates, in primo aetatis flore sauciatus, ac in posteriori urbem postea relatus, occubuerit, eo nomine, & Parente, & Fratribus, qui in iisdem militabant castris, fortunator, quoniam, ante fatalem in Saxonia pugnam, & res, integri doctrinae deditorum, ad internectionem usque, afflictus, ad meliorem hinc avolarat. Atque hi, pro Codicum Academicorum auctoritate, quae omni exceptione major est, sunt illi *Principes*, ex antiqua GVELPHORUM stirpe progeniti, qui hos *Litterarum* penates salutatum venerunt, & si conjecuris locus concedatur, forsitan recentioribus quoque temporibus, idem honor nostris Musis contigisset, nisi in ipsa patria, *Auctore* JULIO, *Potentissimo* quondam *Brunsvicensis Domus Principe*, seculo XVI. nondum ad finem inclinante, divinis humanisque literis *Helmsſtadii* amplissima surrexissent palatia, ad quae *Ipsè* OTTO *Junior*, ante laudatus, *quatuor Principes Filios*, optimis disciplinis imbuendos, una misit, quanquam Illorum *Avis & Parens* sese Wittembergensibus studiis tradiderant erudiendos. Humaniores utique fuerunt artes & sanctiores doctrinae, quae in hac Celeberrima Academia ab incunabilis floruerunt, & quae, summo quoque loco natos, in sui cultum atque admirationem rapuerunt, ita, ut, patrio solo ad tempus relicto, in hanc, Musis consecratam, Domum divertere, dignati sint. Eadem haec divinarum atque humanarum rerum scientia, in hunc usque diem, in sua antiqua sede adhuc habitat, vivit, fovetur, ac indies majora capit incrementa, utque ingeniarum literarum cultores ad animos, doctrina excolendos, magis magisque incitarentur, ac, sponte currentibus, quasi calcaria subderentur, artibus pariter, non semel quotannis, adduntur praemia. Denuo AMPLISSIMUS SAPIENTUM SENATUS, SUMMOS in *Philosophia* atque *Arte Poetica* HONORES; Numine propitio, XVI. Cal. Nov. merentibus conferre, atque, ad hos ipsos, dicto tempore capeſſendos, quotquot humanas disciplinas ac liberales artes, hucusque magno cum fructu, coluerunt, me interprete, & si Deo ita visum fuerit, proximo *Munerum Philosophicorum* distributori, humanissimum in modum invitare decrevit. Quam ob rem, ut meas agam partes, Vos, HONORATISSIMI VIRI, VIRIQUE JUVENES, qui Sapientiae atque humanitatis studia in deliciis habetis, vel ad quos faciles in carmina Musae sese demittunt, etiam atque etiam oro & obtestor, ut NOSTRAE ACADEMIAE, PHILOSOPHORUM ORDINI, DULCIBUS quoque LITERIS hunc honorem referre, & quas offero, dignitates, tanquam *Vestras*, h. e. vestris meritis, virtute ac diligentia partas, libenti animo excipere, ne dedignemini. Ego, quemadmodum spero, fore, ut LECTISSIMI atque ORNATISSIMI CANDIDATI, & *tempèrè*, & *frequentè* ad me accedant, suaque profiteantur nomina: ita, ut, quod meditatur, institutum, RELIGIONI, PATRIAE, ACADEMIAE, ORDINI, OPTIMIS denique ARTIBUS bene, feliciter, fortunataeque eveniat, Deum, omnis sapientiae, tum auctorem, tum statorem religiosissime venerabor. P. P. Iphis Calendis Julii A. Æ. C.

CIO DCC XXII.



Pon Ye 3652
2^o

✓

ULB Halle 3
002 173 891


sb

u

vdn8


Nur für den Lesesaal!

VD17


m.c.







19

ORDINIS PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA WITTEMBERGENSI

DECANUS
M. HIERONYMUS
VVIGANDUS
BIEL

LUNEBURGENSIS
COLLEGII PHILOSOPHORUM
ASSESSOR ATQVE H. T. COMES
PALATINUS IMPERIALI AUCTORITATE
CONSTITUTUS

PHILOSOPHIAE AC POETICES
CANDIDATIS

S. P. D.

EOSDEMQUE AD SOLEMNIA. D. XVII OCTOBRIS
RITE AC MAJORUM MORE RECOLENDI
EA QVA PAR EST HUMANITATE
INVITAT

*Dignitas academiae
Wittenberg.*

105

